§. I.

Duplex Veritatum distinguendum hoc loco genus est, *theoreticum* aliud; aliud, quod *in factis* versatur. Priorum hujusmodi est ratio, ut solo mentis adnisu investigari, detegique possint; tum ut in iis admittendis, repudiandisve, si secundum sese spectentur, juris quisque sit sui; neque imperari eæ cuiquam possint, cùm, quod uni verum, alteri falsum, quod uni certum, alteri vix propensum ad veritatem sæpe numero soleat videri. Quod utrumque in veritatibus secundi generis multo aliter se habet. Illæ enim nonnisi testificatione innotescunt aut sensuum propriorum, aut hominum aliorum, aut etiam Dei: ratio sola meditando nunquam ad eas pertingit. Quodsi semel testificatione constiterint; omnibus uno modo, unâque facie se exhibent; negari non possunt, nisi forte in testificatione ipsâ sit vitium. Ita, ut hoc exempli arripiamus loco, quæratur, an in Polygamia turpitudo sit, quam lex naturæ damnaverit; erunt, qui affirment,

Philoſophi; erunt, qui negent etiam, & utrique pro jure, ut putabunt ſuo; cum, quot hominum capita, tot etiam ſenſus ſint. At enim, ſi eſſet in rempublicam congreſſa certa hominum multitudo, ſuis propriis devincta & colligata legibus, extaretque inter has una quædam Polygamiam vetans; datis ſic rebus, quid eſſet juris Philoſopho? Altercari de æquitate legis, de ſeveritate, de utilitate poſſet; legem ipſam extare, & qui eam violâſſet, in ſocietatis peccâſſe ſcita, reumque pœnæ eſſe, negare non poſſet. *Factum* enim eſt. Sontem, inſontemve judicio naturæ pronuntiandum putet; at judicio ſocietatis reum fatebitur.

§. II.

Hujuſmodi factis omnes humanæ ſocietates, resque publicæ innituntur, his reguntur. *Factum* eſt ipſa prima populorum in ſocietatem, remque publicam coitio; *factum* deſcriptio finium, complexus legum, regiminis quam eſſe formam, quem modum velint, determinatio, & quæ ſunt cætera id genus. Ac quoniam *Rempublicam* naturâ ſuâ *perpetuam* eſſe oportet; *facta* quoque iſta, ſuâ quadam ratione, perpetua ſint, neceſſe eſt, id eſt, nullo

non